

versus quamcunq̄ue plagam illuminationis hemisphæri
comprehensam continuant, quasi lumen ab infinitis circum-
circa reflectatur speculis.

Quamvis autem in asperas & quasi rugosas corporum
densiorum superficies projecti radii lucis repercussione tam
variâ & multiplici maximè dispergantur, nihilominus ta-
men, si lumen illustrans fortè fuerit, & sensorium liberum,
tanto plerumq̄ue splendore in quocunq̄ue prædicti hemi-
sphærii puncto apparet corpus illustratum, & colore ejus ge-
nuino radiorum implicatione penitus suffocato, formâque
tectâ nil nisi lumen videatur, rarò genuina figura, præsertim
oculis non ultra proportionatam distantiam ab eo remotis.
Ita paries etiam nigerrimus à Sole illustratus, cum oculus in
obscuris consistit, ad certâ loci intercapedinem tanto splen-
dore lucet, ut tectâ nigredine ignis videatur lucidissimus. Ita
Luna, præsertim plena, è tenebris nocturnis visa luminis ra-
tione cum Sole quasi paria facere videtur, quippe radiorum
reflexorum luxurie velut obducto colore quem habet nati-
vo merus apparet ignis, merus splendor. Ad eundem mo-
dum Venus corniculata, ob luminis copiam tectis cornibus,
globus videtur uti lucidissimus ita perfectissimus. Scilicet
1. dum ex quovis puncto corporis illustrati ad quamvis hemi-
sphærii illuminatorii plagam reflectantur radii, dispersio sin-
gularum hemisphærica conoidali plurium congregatione
compensatur. 2. Cum oculus in obscuris consistit, omni
fortiori luce penitus exclusâ, fit, ut radii à prædictis corpori-
bus reflexi sensorium Soli occupent, illudque propterea for-
tius perstringant.

Secus autem fit, ubi lumine fortiori præoccupatum est
sensorium, hîc enim oculus deceptus apparentiâ minùs se
affici putat à minori lumine simul radiante, quàm si liber &
immunis à fortiori solum id quod minus est exciperet. Sen-
su enim